

**De cicatricibus : dissertatio inauguralis ... in medicine et chirurgia ... /
public defendet auctor Carolus Eduardus Beulke.**

Contributors

Beulke, Carl Eduard.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Friedlaenderianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nk5bneey>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE CICATRICIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

F R I D E R I C A G U I L E L M A

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS EDUARDUS BEULKE

ASCANIENSIS.


OPPONENTIBUS:

GUNKEL, MED. ET CHIRURG. CAND.

BENZLER, MED. ET CHIRURG. CAND.

TIMPE, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDELAENDERIANIS.



THE CICERO OF THE ROMANS

CHAP. I.

THE CICERO OF THE ROMANS

THE CICERO OF THE ROMANS
BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

BY JAMES RUSSELL LOWELL
WITH A HISTORY OF THE AUTHOR
AND OF HIS WORKS

MANIBUS
PATRIS
OPTIMI DILECTISSIMI
QUAM MAXIME IN PERPETUUM VENERANDI
ET
GUILELMO HENRICO BEULKE
PATRUO,
REGI A CONSILIIS AD RATIONES ACCIPIUNDAS, ORDINIS REGII
DE AQUILA BUBRA IN CLASSE QUARTA EQUITI,
OPTIME DE ME MERITO
AD CINERES USQUE COLEND

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS
PIO GRATIQUE ANIMO

OPUSCULI

D. D. D.

AUCTOR.

Cicatrices, coecatrices, cicatriculae vestigia illa,
quae laesiones sequuntur, appellari solent. Est autem cicatrix substantia illa organica, qua partes organismi animalium olim sejunctae iterum conjunguntur atque in integrum restituuntur. Quum autem eas prorsus omittam cicatrices, quae interioribus in partibus laesiones sequuntur, ego nonnisi eas intelligi volo cicatrices, quae in cute externa aut ulcerum aut laisionum redintegratione ut ita dicam et sanatione dignuntur; jam vero ne longus sim ad singulas cicatrices describendas transeam.

I. ULCERUM CACOCHYMICORUM CICATRICES.

1. Ulcera cacheetica.

a. Ulceris syphilitici cicatrix.

Primum de ulceris syphilitici loco agatur necesse est, qui est propria nota. Ulcera syphilitica primaria in exteriore et interiore praeputii lamina, in glande inveniuntur, in interiore labiorum majo-

rum facie et in minoribus, ad introitum vaginae, nec non in ipsa vagina et portione vaginali uteri; in viris etiam in fossa naviculari urethrae. Ulcus syphilitic. secundar. non in singulis solum oris fau- ciumque partibus, sed in exteriore etiam cute con- spicitur, ubi ossibus magis planis tenuis tantum cutis telaque cellulosa impositae aut cum osse con- junctae sunt, ut in tibia in frontis osse ceterisque cranii ossibus. Haud raro regioni quoque inguinali inest, bubonum exulceratione effectum.

In curandis ulceribus syphiliticis plurimi do- ctissimique scriptores telam cellulosam non rege- nerari credunt, quam ob rem ejusmodi ulceris ci- catricem cavam, eademque qua ulcus magnitudine, planam atque rotundam invenimus. Quum cutis prius formatur quam granulationes ad summas par- tes vicinas pervenerint, cicatrix marginem praebet decisum, qui est nota maxime propria, atque in nulla cicatrice alia invenitur. In his omnes fere viri doctissimi consentiunt; sunt vero, qui contendant, parva si fuerint ulcera syphilitica post non-nullarum hebdomadum spatium cicatrices omnino non relinquunt, dum alii cicatrices nunquam deesse asseverant. Margines cicatricis glabri decisi. Fo- vea, tactu aspera aut paene aspera, cinerea, grisea aut alba relinquitur. Aliquot temporis spatio praeter- lapsso post ulceris syphilitici condylomatosi cicatri- sationem, qua orbiculi concentrici oriuntur et glo- bulus s. nodulus ruber remanet, qui postea albescit, delabitur cum orbiculis et resorptione extinguitur, cicatrix eodem modo formata apparet, quam ob rem num causa ejus ulcus syphiliticum genuinum an condylomatatum fuerit ex ipsa dignosci non potest. Cicatricem, quae in margine praeputii invenitur, ex eo generatam credere licet, quippe quod (sc. condylomatos.) haud raro ibi conspiciatur.

Quod ad ulcus syphiliticum cartilaginosum s. callosum s. Hunteri pertinet cicatricem facile cognoscendam relinquit, haud raro quinque linearum

diametro emensam, in qua callositatem etiam sentimus.

Ulc eris syphilitici cicatrix in glande solet esse valde superficialis, raro aut nunquam eadem magnitudine, qua illa, quae in praeputio invenitur, nisi syphilis cum aliis dyscrasiis conjuncta fuerit. Impressa videtur glandi, haud aliter ac si quis strians cultro glandis partem excidat. In praeputio ovalis formata esse solet cicatrix, in interna maxime lamina aut in frenuli lateribus; margini praeputii si ulcus inest, externae internaeque laminae margines conjunguntur, qua re cutis plicata videtur.

Ulc eris herpetico-syphilitici et syphilitici phagedaenici cicatricem saepissime inter praeputium et glandem conspicimus, hujus etiam in frenulo et in foeminis in interna labiorum minorum parte; ulceris scrofuloso-syphilitici in externa praeputii parte. Superest jam de eo ulcere syphilitico agere, quod ex glandula ulcerata ortum minime planam, toris affectam, depressam, retractam, duriusculam atque adhaerentem efficit cicatricem colore rubro-fusco et cuprino. Si inest cicatrix siccae cutis superficie, non magnam eam esse scimus, primo quidem magis rubro-fuscum, tum vero pallescentem, postremo calore vix fusco; in tunicis mucosis magis caeruleo-rubro.

Jam ad ea transeamus quae ulceræ novissima aetate applicato mercurio sublimato Dr. Frické Hamburgensi ad tantam syphiliticorum similitudinem arte formare contigit, ut vix discerni possent, quae sequuntur cicatrices syphiliticis simillimæ.

Bonorden I. c. p. 237. 239. 242. — Rust Hdb. XVII. p. 107 seq.; V. p. 20.; VIII. p. 243. — Langenbeck II. p. 626. q. — Chelius §. 737. — v. Siedmogrodzki p. 39. — Lessing. — Bluff p. 143. — C. Rust §. 65.

Jam haud inutile videtur de ulceribus pseudosyphiliticis hoc loco disserere, quum optime perspiciatur eorum natura cum ulcerum syphiliticorum ci-

catricibus comparata. Sedes ei et in capite et in genitalibus; in facie maxime in oculorum, narium labiorumque regione. Sanato ulcere rubra cicatrix formatur, quam cutis partem intensam esse videmus. In ossibus bregmatis e media parte malis granulationibus sanatur, cicatricem relinquens, quae tenuissima cutis cum eo, quod ex osse superest conjuncta aut si totum hoc deletum est, durae matri et sinibus longitudinalibus adnexa est.

Bluff. 178.

b. Ulceris mercurialis cicatrix.

Aut in faucibus aut in collo aut in genitalibus sedes ejus est, aut si aliis ulceribus, vulneribus, abscessibusque gignitur, in aliis etiam cutis partibus, ut in tibia, in facie capitisque locis capillosis. Tenuis sensibilisque manet, magna est et inaequalis, rubra, depressa et saepe denuo in ulcus mutatur. Ulcera mercurialia proclivia sunt ad ulcera scorbutica, ut cum scorbuticis eadem fere iis natura sit, quam ob rem utriusque ulceris cicatrices simillimae sunt.

Bluff. p. 188. — v. Siedmogrodzki. p. 39.

c. Ulceris scrofulosi cicatrix.

Ulceris cicatrisatio a marginibus incipit, magis planis aut serratis radiis cuneiformibus effectis, qui, musculis papillaribus cordis haud dissimiles, ulceris fundum transgrediuntur et inde a finibus et ultimis partibus ramiformes aut dentati, sensim sensimque evanescentes ad oppositum usque ulceris finem perveniunt. Quam radiorum cuneiformium naturam praceptor doctissimus maxime venerandus professor Kluge ingeniosissime cum glaciei crystallis in tesseris vitreis fenestrae hiemis tempore comparat. Quam ob rem cicatrix inaequalis, irregularis, plicatus, cum sulcis et radiis, qui ad centrum vertuntur, depressa, plana plerumque, alba aut

pallide rubra et splendida, haud raro callosa et deformose retracta et circumdata indurationibus et tumoribus inaequalibus, semper magna, lata, in universum deformis, qualis conformatur combustionibus. Cuticula tenuis est et subtilis, margines lividi, crassi et tumidi. Cicatrix minus deformis esse videtur, si cutis suppuratione effecta est, majore vero deformitate simulque magis depressa, si glandularum suppuratio causa ejus exstitit; post ossium denique suppurationem cum ossibus, quae aegra fuerant, concreta, in illa conversa infundibuli modo, quasi nodosa et rugosa est.

Haec cicatrix in collo maxime invenitur aut iis locis, quibus magnus lymphaticarum et congregatarum glandularum numerus est, eamque ob causam in regione axillari et inguinali atque in articulis invenitur. Si ossa ulceris causa fuerunt, haud raro in genu, cubiti aut manus pedisque articulis conspicitur, quae ossa saepissime certe a scrofulosi corripiuntur. Si perplura ulcera in collo fuerunt, cicatrices ab iis relictæ cutem constringunt, quare obstipatio capitis effici potest. Quod ulcus scrofulosum, tela cellulosa minime redintegrata, sanatur, cicatrix eadem qua ulcus magnitudine est et nunquam in postremum ulcus in ea gignitur scrofulosum.

Plana in naribus, labiis auribusque ulcera deformia semper evadunt, minus deformes cicatrices relinquentia. Quae ulcera ex vulneribus abscessibusque in iis, qui scrofulosi laborant, gignuntur, in inaequales densasque cicatrices vertuntur, illis haud dissimiles, quae combustiones sequuntur.

Rust Hdb. V. p. 19. VIII. p. 242. XVII. p. 95 seq. p. 71 seq. Art. Ulc. palpebr. — Langenbeck II. p. 416. 411. — v. Siedmogrodzki p. 38. — C. Rust §. 53. — Bluff p. 120. — Lessing.

d. Ulceris arthritici cicatrix.

In articulorum maxime regione invenitur praecipue in extremitatibus inferioribus et saepissime

quidem in malleolo interno exteroque et sub patella, ipsius patellae ligamenti initio opposita, in sinistro praecipue crure nec non in sura extremisque digitis. Magnus ei et inaequalis serratusque ambitus esse solet, ipsa cicatrix est minime plana, sed repleta impressionibus et altitudinibus subrotundis, in montium valliumque modum alternantibus, quorum per edita tenues cuticulae, rugae dispersae sunt. Color fusco-ruber in caeruleum varians aut cinereus. Circuitus est fusco-lividus, repletus varicibus et saepe erysipelatose inflammatus, id quod aut paroxysmo arthritidis aut eo cessante fieri solet.

Cuticula eminentiarum gibbosarum crassa est, firma, dura, caloris lividi, squalidi, locorum vero profundiorum subtilis, tenuis, tenera, rugas splendentes format, ita ut ejusmodi cicatrix cum sculptura caelata comparari possit.

Quod ad dignoscenda haec ulcera eorumque cicatrices pertinet, maximi momenti est, ante annum tricesimum quintum ea non inveniri magis etiam in viris, quam in foeminis.

Rust Hdb. V. p. 20. XVI. p. 649. — Langenbeck II. p. 508. — Bluff p. 112. — v. Siedmogrodzki p. 38. — Lessing.

e. Ulceris scorbutici cicatrix.

Cruribus et suris inesse solent hae cicatrices. Sunt quoque quae in gingiva conspiciuntur. Nonnulli scriptores sunt qui credant, cicatrisationem inde a marginibus, ex media parte, pluribusque fundi locis quasi insulis rotundis incipere, perpauci auctores a centro.

Margines cicatricis lividi sunt, flavi, non callosi sed fungosi, saepe oedematosi et incisi. Ulcus scorbuticum non sanatur nisi cutis et circuitus in priorem naturam redactus, iisque suus color redditus est, quo facto margines elatiores et crassi aut deprimuntur aut omnino disjunguntur. Cicatrisationis

tempore margines coerulei, laxi, saepe oedematosi. Laxae fungosaeque granulationes extremis partibus albis punctis teguntur, quae sensim sensimque in lucem magis prolata augentur, donec pluria rotunda sensim extensa, quasi seriem membranacearum formaverint insularum rotundarum, revulsarum, quarum numerus paullatim adaugetur et quae invicem et cum marginibus conjunctae cicatrisationem perficiunt. Ex rubro caeruleoque subnigra cicatrix est, mollis, elata, mediocri semper amplitudine, sensibilis, levique momento rumpitur, pluribus foraminibus effectis auctisque. Post aliquot annorum spatium planior fit minusque sensibilis fusco-rubra, cuprina, squalide fusca, livida, in media ejus parte fusca, fusco-rubra puncta dispersa sunt, quae subviridia nonnunquam esse videntur, dum circuitus candidior est et pallidior, rugis plicisque impletus, tenuis ipsa cicatricis cuticula facile mutabilis ac si a partibus subjacentibus decisa sit. Clara et splendens est nec unquam crines in ea inveniuntur. Ceterum cicatrici eadem quae ulceri magnitudo.

Rust Hdb. V. p. 7. 19; XVII. p. 89. — Langenbeck II. 493. — Chelius §. 692. — v. Siedmogrodzki p. 37. — Lessing. — Bluff p. 196.

f. Ulceris carcinomatosi cicatrix.

Quod ulcus carcinomatosum verum usque ad hoc tempus nunquam sanatum est, etiam de cicatrice hujus mali perniciosissimi sermo esse non potest. Malum medicamentis mutataque vivendi ratione sistere possumus, ita ut singulis in locis cicatrisatio levi, tenui ac tensa cuticula incipiat, quae nunquam tamen longe procedit, quum malum mox ad priorem statum redire, recentique cuticula deleta omnem salutis spem adimere soleat.

Rust Hdb. XVII. p. 2. — v. Siedmogrodzki p. 40.

2. Ulcera impetiginosa.

Cicatrices horum ulcerum eandem habent quam pustulae antecedentes magnitudinem, quae cicatrices deformes sunt atque callosae lataeque, ut vulnerum cum substantiae detimento sanatorum cicatrices esse solent.

Langenbeck II. pag. 527.

a. Ulceris leprosi cicatrix.

Omnibus corporis partibus inesse potest, saepissime vero genitalibus. Ulceris ex lepra aegyptiaca nati cicatrix in facie maxime invenitur nec non in extremitatibus, articulo genu et ano. Ex lepra taurica in facie praecipue inveniuntur, in extremitatibus, in ore atque faucibus. Ex rubro, quem dicunt, morbo Cajennensi in facie maxime gingivaque. Cicatrix ulceris leprosi a cicatrice ulc. radesyges vix differt neque ulla re nisi quod cicatricem leprosam orbiculi deficiunt, dignoscuntur. Lepra ipsa sanata squamisque atque crustis prorsus remotis videmus locum morbo antea affectum, laevem, rubrum paullisper tantum inflatum et si quidem non inveteratum erat exanthema, sulcis carentem. Morbo autem jam magis proiecto longae remanent eaedemque profunda, reticulatae lineae, quae quidem non tam naturalibus cutis integrae vicinae, quam illis, quas videmus in inferiore squamarum parte respondent lineis. Cicatrices autem lepra, nondum exulcerata, non conformantur.

Bluff p. 102. — v. Siedmogrodzki p. 41. — Bateman p. 34. — Biett p. 290.

b. Ulceris scabiosi cicatrix.

Ulcus scabiosum s. psoricum in manu, antibrachio, in articulationibus ipsis, praeterea etiam in interno femoris latere atque in suris, raro autem (id

quod contagio vestimentis communicato saepius accidit Langenbeck II. p. 556.) in vultu invenitur. Cicatrix ulceris scabiosi aut alba est et fuscis et rubris atque etiam lividis maculis est circumdata aut maculae tantum ejusmodi lineaeque sensim sensimque evanescentes remanent aut etiam cicatrices fuscae aut squalide caeruleo-fuscae, decolores, lividae, fere rotundae, media in parte magis quam in margine atque circuitu fuscae, quarum color nunquam evanescit. Ceterum hujus ulceris cicatrix quamquam paulo elatior minorisque circuitus, tamen similis est iis, quae conformantur ulcere herpetico.

Rust Hdb. V. p. 372 XVI. p. 20. XVII. p. 86. — v.
Siedmogrodzki p. 40. — Bluff p. 93.

c. Ulceris herpetici cicatrix.

Ulceris ipsius forma est plana et late patens, et quamquam margo nec deformis neque callosus esse solet, tamen hoc ulcus saepe sequuntur indurations cicatricesque quam deformosissimae, quae quidem cicatrices similes sunt iis, quae psoricis in affectionibus exoriuntur. Sunt enim maculae decolores, media in parte aequa ac maculae illae psoricae magis quam versus margines fusco praeditae colore. Cicatrix est plana, irregularis, superficialis, late patens, sensim sensimque in cutem integrum transiens; color est sordidus, fuscus, interdum etiam griseus aut lividus, media autem in parte saepe colori sanae cutis simillimus. Exulceratione late dispersa saepe cicatrices callosae et pollicis dimidi latitudinem exaequantes conformantur. Cutis prope cicatrices sita atque ipsae cicatrices squamis obtectae esse solent. Commemoranda adhuc est ea hujus exanthematis forma, cui nomen est herpeti exedenti sive maligno, sive phagedaenico etc., quae quidem multo periculosior est illo herpete squamoso, quum omnes eas quas afficit corporis partes prorsus deleat, quae partes fere hae sunt:

nares unde incipere solet, genae, labia, frons, mentum; interdum etiam pectus et humeri atque aliae partes. Naribus affectis membrana mucosa fere semper una cum cute et tela cellulosa hoc morbo arripitur atque consumitur aut exulceratione aperta aut exfoliatione vix visibili, ita ut semper contrac-
turae earum partium et saepe ectropia exoriantur. Cicatrices autem locis primo affectis remanentes, sunt fuscae atque callosae.

Ulcera herpetica quae aut satis perspicuam aut nullam effecerunt cicatricem, quorumve cicatrices longiore temporis spatio praeterito evanuerunt, puncta relinquent nigra, quae quidem ductum folliculorum seba-
ceorum tenent loca satisque sunt perspicua, ut ex iis ulcus adfuisse concludi possit.

Morbo jam magis proiecto herpete exedente hae distinguendae sunt species:

1. Lopus exulcerativus, qui iterum dividitur in superficialem et profunde exedentem, si ita mihi dicere licet.

a. Quod ad lupum superficialem pertinet, ci-
catrices efficit similes iis quae in partibus com-
bustis exoriuntur, quae cicatrices saepe denuo in exulcerationes apertas mutantur. Lupo autem prorsus sanato cuteque quoad ejus fieri potest in integrum restituta, cicatrices remanent late patentes, albaeque aut lividae aut etiam roseae, irregulares et crassae, interdum etiam praesertim cicatricibus iterum atque iterum exulceratis valde tenues per-
lucidaeque. Tales cicatrices exfoliatione quoque illa, cuius antea mentio facta est, conformantur.

b. Jam vero transeamus ad lupum profunde exedentem quem diximus, propterea quod partes arreptas prorsus delere solet, quod cicatrices denuo semper in ulcera aperta mutantur, quae ulcera, si quidem tandem aliquando sanantur, sine substantiae regeneratione resanescunt, ita ut quasi cultro ab-
scisae videantur hae partes atque cicatricibus te-

nuibus cartilagineis narium, ubi hic lupus sedem habere solet, perluceant.

2. Lupus exfoliativus qui consistit in maculis tuberculisque, quorum epidermis in squamas albas et splendidas mutata decidit, ita ut superficies remaneat livido-rubra, ut ita dicam, laevisque et splendida, quae superficies iterum atque iterum in exfoliationes reducitur, quo facto cutis tandem magis tenuis, arcte adhaerens iis quae affectae sunt partibus et cicatrici similis appareret. Haec loca intensas saepeque cruciatas et quasi ramosas confirmant lineas, quae exfoliatione finita duriusculae, locis vicinis albiores et valde splendidiae sunt.

3. Lupus hypertrophicus fere semper in vultu tantum appareat, parva conformans tubercula, quae etsi superficialiter interdum exulcerant, tamen nunquam crustis obteguntur, sed confluentes tumores efficiunt hypertrophicos. Quo facto exfoliationes exoriuntur et maculae dispersae rubri coloris eo loco, quo antea erant tuberculorum acumina. Paulo post tuberculorum illorum loco maculae exoriuntur albae tales, quales jam in lupo exfoliativo sunt commoratae, quae maculae iis cicatricibus valde sunt similes, quare inter singula loca tuberculosa atque hypertrophica hae maculae albae exoriuntur, ut tuberculorum primo conformatorum cicatrices.

Rust Hdb. V. p. 20. XI. p. 393 seq. 404. — Langenbeck II. 573. — Bluff p. 96. — v. Siedmogrodzki p. 40 seq. — Lessing. — Biett 379 — 386. — Heim I. c. p. 218. Anmerk.

d. Cicatrix ulceris radesyges.

Ulcus radesyges et cutem et membranam mucosam et ossa arripit; media pars primo resanescere solet planamque albam atque duram relinquit et tensam cicatricem, quae tamen fusco-rubra, cuprina quoque serrata, depressa et splendida nunquam evanescit. Singulari quodam modo reticulate atque

catenis similis formata est, montibus haud falso comparanda, quos in antiquioribus tabulis geographicis pictos conspicimus, quorum singula fastigia adnotata sunt. Hocce ulcus, ex pustulis rotundis oriundum, reticula quasi format, novis semper pustulis continua serie natis, quam ob rem cicatrices etiam reticulatas esse supra jam diximus. In marginibus obscuriores sese praebent quam in centro, qua re lucidiores sensim evadunt et quasi elatae videntur.

Rust Hdb. XIV. p. 122 — 126. — Bluff Art. Ulc. Ie-pros. — C. Rust §. 68. IV. — v. Siedmogrodzki p. 41. — Lessing.

II. ULCERA ANTAGONISTICA AUT CONSENSUALIA AUT SYMPTOMATICA, QUAE SUNT:

1. **Ulcus rheumaticum.**

Locus iis potissimum partibus, quibus tendinosis partibus tenuis cutis imposita est ut saepissime in extremitatibus inferioribus ex articulorum regione. Ulcus, quod omnino inveniri viri doctissimi negant, affectiones rheumaticas secutum, tumore rheumatico effici solet. Leve, amplum, rotundumque aequo, flavo-rubro, carnosum fundo, tenuibus neque elatis, neque abscisis utitur marginibus. Brevi saepe tempore sanatur, paucorum tantum retardatur sanatio. Rotunda est cicatrix, fundus vix cavus et color ejus inter rubrum albumque dubius.

Lichtenauer p. 28. — v. Siedmogrodzki p. 32. — Rust Hdb. XVII. p. 81.

2. Ulceris menstrualis et haemorrhoidalis cicatrix.

Hoc ulcerum genus in ano praecipue conspicitur nec non in perinaeo, in genitalibus, in crure et femore pedibusque, haud raro varicibus circumdatum. Cicatrix e caeruleo et fusco nigrescens, in qua puncta e fusco nigrescentia paribus intervallis dispersa sunt. Quare de Siedmogrodzki (l. c. p. 32): color marmori fusco similis, punctis opacis interruptus est, ac si succus liquiritiae in cellulas nonnullas esset injectus.

Bluff p. 234. — v. Siedmogrodzki p. 32.

3. Exanthematum cicatrices.

Exanthemata chronica pustulosa raro tantum sequuntur cicatrices; cutis autem loco affecto rubrum retinet sensim sensimque evanescentem colorem.

Squamae aut integrum relinquunt superficiem, aut rubram atque inflamatam, laevemque et splendidam cutem efficiunt, quae cutis sero tantum in integrum restituitur.

Exanthemata tuberculosa saepe in eminentiis suis exulcerant atque exulceratione maligna cicatrices magnas efficiunt.

Sunt etiam ulcera quaedam ex exanthematibus chronicis exorta, quae fere easdem quas varicellae conformant cicatrices, ita ut nonnisi fundo in illis duriore distingui possint.

Biett p. 147, 285, 330. — Bateman p. 31. — Heim l. c. p. 225.

a. Ulceris erysipelatosi cicatrix.

Cicatrices quae ulceribus erysipelatosis gignuntur irregulares esse solent et lacerae striataeque, quales post combustiones vehementiores exoriri solent. Quod ad sedem pertinet plerumque in extremitatibus inferioribus atque ante alias partes in

crure, interdum autem etiam aliis in corporis partibus, ut in vultu et palpebris inveniuntur.

Rust Hdb. XVII. p. 13. — Bluff p. 91.

b. Cicatrix exanthematis celoides.

Exanthema celoides, quod dicitur, medium fortasse tenet inter herpetem et carcinoma; quod quum rarissime tantum inveniatur a Bateman esse prorsus negatur. Hoc exanthema aut sterni regionem aut posterius brachii humerique et femoris latus externum atque interdum dorsum quoque, saepius autem foeminas, quam viros afficere dicitur. Hoc exanthema saepe manifestatur parvis tumoribus oblongis angulatis, splendidis, quorum epidermis est extenuata et rugosa, ita ut cicatrici combustionē tertii gradus effectae similis videatur. Cicatrix hoc exanthemate formata nunquam appetet rotunda, epidermis autem loci affecti est alba, tenuis eademque firma et rugosa, ita ut telam cellulosam his locis consumtam esse liqueat.

Rust Hdb. V. — Biett p. 486 seq.

c. Pellagra s. lepra lombardica s. mediolanensis.

Nonnisi eas corporis partes, quae aëri sunt expositae, afficere solet. Morbo nondum valde proiecto desquamationem splendida sequitur eademque colore roseo tincta et valde sensibilis superficies. Altero autem anno hic color roseus saepe in flavum aut fuscum colorem mutatur, squamisque delapsis cutis appetet aut splendide ruber aut pallide alba. Tertio anno cutis interdum fit fusca aut etiam prorsus nigra. Annis compluribus praeterlapsis cutis prorsus degenerata pergamento similis appetet, aspera, scissilis et saepe etiam praesertim in digitorum articulationibus sulcis profundis incisa; interdum etiam haec cutis sqamis magnis obtigitur et prorsus fit insensibilis. Cicatrices autem, quae

proprie dicuntur regulari decursu conformare non solet hic morbus.

Rust Hdb. XIII. p. 181. — Biett p. 406: Anhang p. 30 seqq.

d. Elephantiasis Graecorum s. lepra nodosa.

Morbus est apud nos vulgaris consistens tuberculosa in degeneratione cutis telaeque cellulosae, cuius inter causas dyscrasia syphilitica ante omnes est commemoranda. Haec tubercula in ulcera interdum mutantur superficialia planaque et mollibus fungosisque in tumoribus sedes suas habentia, quorum cicatrices sunt albae splendidiae intensae, irregulares. Morbo in purulationem non produc tamen maculae remanentes semper sunt tumentiae rubraeque et suppressa sensibilitate cutis ejus alienationem approbans.

Rust Hdb. VI. p. 158. Anmerk. — Biett p. 334 — 340, Anhang p. 29.

e. Elephantiasis Arabum.

Cicatrix hoc exanthemate facta similis est ei quae conformatur elephantiasi Graecorum; natura autem dyscrasiae syphiliticae in hac magis elucet.

Rust Hdb. VI. p. 158. Anmerk.

f. Crusta lactea.

Crusta decidua inflammatam relinquit rubramque superficiem, quae crustis recentibus semper obtegitur; quod si non est sicca eademque tenera et rubra remanet atque eminens superficies, cui sulci impressi esse solent, quaeque quamquam desquamatur, tamen nunquam nisi radendo aliisque insultationibus valde irritata, rimas profundiores cicatricesque relinquit.

Crusta lactea puerarum saepe fit maligna, ita ut pustulae, quibus conformatur, mutentur in ulcera exedentia, quae crustis obteguntur depresso et crassis, quorumque cicatrices sunt valde deformes.

Rust Hdb. V. p. 362 — 369. — Biett p. 252 seqq. — Bateman p. 191. —

g. Crusta serpiginosa

aut lividas in cute efficit maculas aut ulcera superficialia non valde extensa conformantur, quae maculas efficiunt subruberat atque paulisper impressas. Quod ad sedem hujus exanthematis pertinet, genae, auriumque et parotidis regiones usque ad palpebras affici solent. Radendo si irritantur loca affecta, id quod propter dolores pruriens saepe ab aegrotis non satis caute vitatur, perniciosiores existere possunt exulcerationes.

Rust Hdb. V. 371 seqq. — Langenbeck II. p. 613. 614.

h. Variolarum species.

Inter varia exanthematum genera variolarum species ante omnia cicatrices relinquunt, quare haud ineptum mihi videtur, earum antequam de ceteris disseram, mentionem facere. Quae cicatrices caustica ut ita dicam variolarum vi, atque acerrimo, in stadio suppurationis genito, pure efficiuntur; quo diutius igitur pustulae in cute remanent et quo tardius singula morbi stadia ad finem usque producuntur, eo profundiores etiam ejusdem variolarum speciei cicatrices sint necesse est, praesertim quum diathesis quaedam variolosa ut ita dicam dilucide expressa adest, ut in variolis confluentibus. Non nullis annis post infectionem cicatricum forma valde mutatur, id quod praesertim in perfectis varicellarum cicatricibus esse ab Heimio confirmatur, ita ut ea loca, quae antea erant depressa, in postrem promineant.

Heim p. 219. — Eichhorn p. 212.

α. Variolae verae.

Cicatrix non tam rotunda aut ovalis, quam irregularis atque angulosa et serrata est. Margo etiam neque rotundatus nec laevis sed irregularis est et magis vel minus serratus. In confluentibus autem radendoque irritatis margines inveniuntur callosi atque non serrati, ita ut si in vultu sedem habent suturas quasi interdum efficiant vultum huc et illuc percurrentes et valde deformantes.

Basis nunquam est cute integra albior, initio autem paulo rubicundior, neque unquam laevis sed non plana, ita ut **Heimius** haud inepte eam cum citrei superficie comparet. In fundo semper nonnullae maculae subnigri coloris atque eo frequentiores, quo majores sunt ipsae cicatrices inveniuntur. Interdum etiam crines in cicatricibus sunt; quod ad formam fundi pertinet est concava et globuli segmento adaequans. Cicatrice quamvis intensa nec margo neque fundus laevis et planus sed lineis subtilibus quasi interscissus appetet. Profunditas quum magis magisque diminuatur, nonnullae cicatrices tantopere evanescunt, ut nihil earum remaneat. Numerus cicatricum pustulis ipsis respondet multoque est major quam varicellarum cicatricum, atque interdum fere innumerabilis. Sunt autem in quibus variolae ipsae ne ullam quidem cicatricem, quamvis magnus fuerit pustularum numerus, efficiant, id quod interdum etiam in variolis confluentibus videre licet; maculae autem rubrae illuc pro cicatricibus exortae per complures menses saepe remanent. Locum suum cicatrices habent in vultu, in manibus; in abdomine et dorso paulatim evanescunt. Cicatrices quadraginta aut quinquaginta annorum disparent interdum, si autem remanent, eandem semper obtinent formam. Saepe etiam variolae praesertim in naso conformant cicatrices paulisper eminentes, laqueiformes, quarum margines non serrati, sed laeves atque integri sunt.

Cicatrices variolarum non genuinae s. imperfectae ut ita dicam, quae quidem variolis irregulariter stadia sua percurrentibus conformantur, interdum rotundae sunt atque complures per annos marginem retinent serratum, prope quem maculae illae nigrae, de quibus jam antea sermo fuit, loco ductus folliculi sebacei saepe possunt videri.

Heim p. 222 — 225. 217. 219. 214. — **Eichhorn** p. 415. — **Chouiant** p. 419. — **Biett** p. 156. — **Bateman** p. 229. — **v. Siedmogrodzki** p. 35 et 36. — **Rust Hdb. V.** p. 21.

β. Variolae modificatae s. varioloides.

Varioloides crustis flavis et firmis delapsis aut eminentias verruciformes rubras sensim sensimque evanescentes maculasque rubras per aliquot tempus relinquentes praesertim locis affectis aëri expositis aut etiam cicatrices efficiunt superficiales colore normali marginibusque irregularibus et serratis praeditas. Varioloides purulentae raro tantum cicatrices parvas, sed plerumque nonnisi maculas relinquunt rubras et pustulis antea pure prorsus impletis initio semper impressas; solis autem acuminibus pustularum pure repletis cicatrices verrucosis similes sunt eminentiis. Varioloides lymphaticae in cute efficiunt eminentias, quae post longius temporis spatium resorptione diminutae tandem aliquando desquamatione prorsus disparent. Varioloides si tenuendo aut radendo aliisque insultationibus irritantur, interdum praesertim in fronte cicatrices non serratas sed rotundas aut ovales easdemque profundas relinquunt cicatrices, ne multa, quae eandem quam varicellarum cicatrices habent formam.

Eichhorn p. 403. 415. — Hufeland's Journal 1824.
Octoberheft p. 29 — 32. — Choulant 442.

γ. Varicellae.

Varicellarum cicatrices semper colorem habent reliquis corporis integumentis albiorem et propter laevitatem suam cum ovorum testa comparari possunt. In fundo non ut in aliis hujus exanthematis speciebus puncta illa nigra inveniuntur et nunquam non modo in aliis corporis partibus sed ne in pilosis quidem regionibus pilis sunt obiectae. Margo rotundatus et laevis, cutis habet colorem et versus medium cicatricem parva est depresso, ita ut fundus albus convexus appareat. Interdum in adultis qui aetate infantili varicellis laboraverant, margo et raro etiam ipse fundus est irregularis et quasi rugosus, quae rugae autem cicatrice paulisper huc vel illuc detracta disparent. Forma cicatricis ipsius rotunda

esse solet, interdum autem etiam aut ovalis aut irregularis et duabus varicellis conjunctis angulosa; magnitudo autem valde variat inde a seminis sine peos magnitudine usque ad pisi magnitudinem. Altitudo cicatricis cum ex regione tum ex aetate sua pendet, ita ut in collo et vultu, praesertim autem in genis atque in fronte sint profundiores quam aliis in partibus, quod ad aetatem pertinet, fere idem quod antea commemoravi est dicendum. Cicatrices enim decem aut viginti annorum fere prorsus evanescunt, ita ut cute ipsa non sint profundiores imo vero interdum etiam altiores; fundi autem color albus nunquam disparet. Nunquam sunt tam numerosi quam variolarum genuinarum, quamvis multae pustulae adfuerint. Varicellae cum febri vehementi conjunctae plurimas relinquere videntur cicatrices; nunquam autem plus viginti cicatrices inveniuntur, ita ut centum pustulae satis conformatae nonnisi duas usque ad decem efficere possint. Loca quae varicellis arripi solent, fere haec sunt: frons et nasus et raro etiam brachia, femora, dorsum et abdomen, quibus in regionibus si inveniuntur frequentiores esse solent quam ipso in vultu. Cicatrices quadraginta et quinquaginta annorum semper albae sunt marginesque earum qui aut plani sunt aut cute paulo altiores, non sunt serrati sed rotundi; fundus autem est subdurus.

Ceterum secundum Eichhorn varicellis non nisi valde irritatis atque insultatis aut pustulis pure repletis per longum tempus non ad exsiccationem iisque progressis cicatrices conformantur, quae cicatrices, quum pustulae ipsum corium penetraverint et canales sudoriferos bulbosque crinium prorsus deliverint, laeves esse solent; corio autem non tantopere destructo in fundo cicatricum puncta illa, quorum jam saepius mentio est facta, videre licet.

Pustulis varicellarum exulceratis cicatrix angusta atque irregularis fieri solet.

Varicellae globulares et coniformes foveas relinquunt. **V. haemisphaerica** et **v. suillae** Anglorum

et v. gallinaceae parvas maculas, rubras paulatim evanescentes relinquere solent, irritatae autem cicatriculas etiam conformant.

Cicatrix varicellarum quae singula stadia irregulariter percurrerunt nec marginem serratum, neque illa puncta nigra habet.

Heim p. 204 — 225. — Choulant p. 435. 436. — Rust Hdb. V. p. 21. — v. Siedmogrodzki p. 34. 35. — v. Raimann §. 746. — Eichhorn 416. — Biett p. 66. — Bateman p. 356. 357.

δ. *Variola vaccinica s. Vaccina.*

Numerus et diametros cicatricum sola possunt vaccinationis effectum manifestare; quo major autem pustularum numerus est eo minores sunt earum cicatrices, quum singula stadia celerius percurrant neque tam longum tempus in cute remaneant. Profundiores autem cicatrices fieri solent numero pustularum minore, quae cicatrices, quum pustulæ tunicam vasculosam corii externam deleverint, etiam tempore ipso praetereunte accrescunt. Praedispotitione variolosa permagnaæ cicatrices profundiores remanent, etiamsi pustularum numerus major fuerat. In vaccinae cicatricibus rudimenta canalium sudoriferorum ut puncta majora, bulborumque pilorum ut puncta minora inveniuntur, quare haec duplicata ut ita dicam vaccinarum punctatio exoritur. Suppuratione pustularum non tam profusa cicatrices, quum tunica illa vasculosa externa corii non tam deleta, sulcatae sint et non tam profundae.

Variolæ vaccinicae radiatam aut reticulatam ac profundam rotundamque cicatricem efficiunt, quarum fundus impressiones habet, cellulis pustularum respondentes, quarumque diametros quinque circiter lineas est longa, ita ut major quidem variolæ vaccinicae, sed non tam profunda quam variolæ genuinae sit cicatrix. Margo hujus cicatricis nunquam evanescentis est incisa, striata, superficialis, vix sensibilis.

Ex pustulis si lympha ad vaccinationem sumitur, locusque laesus crusta obtegitur, decursus

exanthematis fit irregularis et crusta sicca conformari non solet, sed suppuratione exorta cicatrix alba et laevis atque solito major efficitur, quo profusior suppuratio fuerat. Vesicula priore adhuc stadio aperta cicatricem nullam relinquit.

Duodecim circiter incisionibus secundum Eichhorn factis, cicatrices non tam magnae, diametrum tres circiter lineas longam habent et punctatae sunt oblongaeque, atque in margine, aut accurate terminatae aut non terminatae, vaccinationemque satis efficacem esse indicant. Quo autem magis sulcatae sunt cicatrices, eo majorem vim habuisse vaccinationem licet concludere. Jam vero, si cicatum sulcatarum pluribus annis post vaccinationem aut prorsus disparuerunt aut saltem viginti quinque annos non accreverunt, ita ut sex vel octo circiter reliquae sint neque ulla earum accreverit, idem nobis licet concludere. Cicatrices permagnae, quarum quidem diametros quatuor lineas usque ad pollicem unum atque dimidium Parisiensem sit longa, suspicari nos sinunt, vaccinationem non esse tutelae, fac esse has cicatrices aut valde frequentes aut raras aut rotundas aut quamvis formosas. Minus tamen suspectae sunt magnae cicatrices punctatae, quam striatae et quasi laqueiformes, nihilominus etiamsi sex adsunt cicatrices punctatae, vis earum tutoria adhuc dubia est. Inde a pubertatis tempore has cicatrices magis accrescere praesertim in hominibus maceris facile potest videri.

e. Vaccina spuria s. vaccinella.

Vaccinella saepe sine cicatricibus sanatur, quae ubi sunt, irregulares atque angulares minoresque sunt iis quae vaccina vera conformantur, interdum etiam deformes atque contractae alboque colore et splendido praeditae.

Eichhorn cicatrices nonnisi pustulis iterum atque iterum irritatis exoriri contendit, et singulis variolosi exanthematis speciebus specificas prorsus negat cicatrices.

Eichhorn p. 212. 213. 214. 452. 453. 513-518. — Biett p. 180. 182. 158. — Bateman 261. 264. — v. Raimann §. 755. — Choulant p. 440. 442. — Hufeland's Journal 1822. I. Heft p. 80.

i. Jam vero transeamus ad alias exanthematum species quarum cicatrices non tam accurate sunt distinguendae.

Maculas rubras aliquanto post desquamationem sensim sensimque evanescentes haec fere exanthemata relinquunt: lichen, psoriasis, herpes labialis phlyctenodes et circinnatus, herpes zoster s. zona, pemphigus, rupia prominens, impetigo figurata simplex, chronica et sparsa, acne et exanthemata inflammatoria febrilia, ut scarlatina, morbilli etc.

Biett — Bateman.

Lichen agrius superficiem relinquit cicatricosam, parvisque punctis eminentibus (papulis) distinctam, quae solis oculis plerumque videri semperque digitu tactu possunt sentiri.

Biett p. 80.

Herpes zoster s. zona, cuius vesiculae, quae saepe permagnae inveniuntur, mox apertae in exulcerationes late patentes et quam dolorosissimas traducuntur, cicatrices efficit, exulcerationibus illis respondentes; quae cicatrices similes saepe sunt iis, quae varicellis efficiuntur. Sedes hujus morbi et magnus in parva corporis parte cicatricum numerus zonam adfuisse non cognosci non sinit.

Biett 103. — Bateman 276. — Heim 226.

Pemphigus chronicus nonnisi uno eodemque loco semper fixas facit cicatrices.

Biett 132. 133.

Rupiam simplicem cicatrices lividi coloris exulcerationibus rotundis exortae sequuntur.

Biett 139.

Rupia prominens, cuius sedes extremitates inferiores esse solent, exulcerationes magis aut minus profundas et latas efficit, quibus sero tantum sanatis cicatrices gignuntur.

Biett 139.

Rupia escharotica (Willan) sero tantum aut in cicatricem aut etiam in foveam profundam mutatur.

Biett 142. — Bateman 290.

Mentagra et acne saepe tubercula variae magnitudinis relinquunt, quorum tuberculorum exulceratorum cicatrices denuo saepe apertas in exulcerationes mutantur, quo fit ut aut prorsus evanescant cicatrices aut parvae exoriantur impressiones.

Biett 147. 222. — Bateman 332.

Eccema aut desquamatione sanatur aut magnam humiditatis quantitatem producens crustis siccis obtegitur, quibus delapsis cicatrices remanent.

Choulant 476.

Ecthyma parvas interdum cicatrices, plerumque autem maculas rubras relinquunt, quae maculae autem sensim sensimque extinguuuntur.

Biett 185. 188. 191.

Impetigo sparsa saepe praesertim in hominibus aetate jam magis provectis magnas in inferioribus extremitatibus efficit exulcerationes atque cicatrices.

Biett 199. — Bateman 180.

In acne indurata et rosacea cutis et tela cellulosa induratione magis minusve est degenerata; cicatrices post acnen induratam remanentes oblongae sunt et parvae tantum, qua forma oblonga distingui possunt a rotundis et depresso ulcerum syphiliticorum cicatricibus. Circumdantur autem cicatrices acnes induratae folliculis tumentibus quidem, non autem inflammatis, cutisque prope locum affectum oleosa quasi appetit et tuberculosa. Pustulas acnes chronicæ cicatrices sequuntur, quae nunquam exaequantur.

Biett 209-213. Anhang p. 19 u. 37.

Pruriginis papulae si corium ipsum deleverunt, parvas et subtilem solisque autem oculis facile cognoscendas relinquunt cicatrices.

Biett 278.

Psoriasis guttata cutis superficiem facit rubram, paulo dolentem quasi eminentem, id quod

magis adhuc psoriasis inveterata efficitur, qua cutis laevis mutatur in asperam tuberculosamque atque inaequalem, interdum etiam psoriasim profunda corii sequuntur indurations.

Biett 305. 307. 314. — Bateman 53.

Ichthyosis neque cicatrices nec ruborem sed asperitatem cutis relinquit.

Biett 324.

Framboesia ad exulcerationes usque interdum progressa profundas efficere potest cicatrices.

Biett 345-348.

Syphilides pustulosae maculas griseas interdum pro cicatricibus illis syphiliticis relinquunt. **Syphilides psydracice-pustulosa**s parvae circularesque et media in parte paulisper depressae, interdum etiam vasis sanguine injectis distinctae sequuntur; cicatrices majorum syphilidum pustulosarum eadem signa praebent, atque aliae cicatrices syphiliticae. **Syphilides tuberculosa**e apertas interdum transeunt in exulcerationes, quibus latius dispersis cicatrices efficiuntur perlongae, deformes, suturis aequantes, tuberculis syphiliticis immixtae. **Syphilides papulosa**e nonnisi in acumine exulceratae non tam cicatrices quam maculas subnigras relinquit. **Pustulae syphilidum phlycazicae** quae dicuntur cicatrices profundas et nunquam evanescentes signis morbi syphilitici pathognomonicis praeditas conformant.

Psoriasis syphilitica (Bateman et Albers) cicatrices aequae atque ulcere syphilitico conformatas interdum autem paulo maiores et saepe semi-circulariter positas, crustisque delapsis decolores subrubras et sensim sensimque albescentes relinquit.

Biett 415-438. Anhang 37. — Bonorden 314.

Scabies non exulcerata maculas lividas rotundasque paulatim evanescentes conformat.

Rust Hdb. XIV. 452.

III. CICATRICES QUAE HOC VEL ILLO LOCO QUO INVENIUNTUR PATHOGNOMONICI UT ITA DICAM ALIQUID ACCIPIUNT.

1. Cicatrices in oculis.

a. Cicatrices corneae.

Corneae cicatrices continuitate hujus membranae laesa, lamellisque ejus compluribus accretis lymphaque turbida et coagulata conformantur. Margines accurate sunt terminati, quasi abscisi ut ita dicam, quare quam maxime distinguuntur a maculis non vulneribus aut ulceribus exortis, quae quidem nunquam sunt tam accurate terminatae. Saepe etiam leucomatosis circumdantur cicatrices obscurationibus atque eam ob causam nominantur cicatrices leucomatosae, quae saepe sunt complicatae cum synechia anteriore ulceribus penetrantibus exorta. Sedem in quavis corneae parte habere possunt hae cicatrices.

Corneae cicatrices aut albae aut griseae aut etiam flavae aliisque coloribus tinctae sunt obscurationes, substantia ipsa corneae perdita cognoscendae. Inde a latere nobis has obscurationes intuentibus cornea quasi polita et ut ita dicam facetata appareat. Eo major substantiae est defectus, quo perniciosius ac profundius fuit ulcus, ita ut ulcera productiva quae dicuntur, teneram subtilemque, destructiva autem ac maligna majorem obscuramque et turbidam conformat canticem. Sunt etiam cicatrices quae eminentiis, torisque et substantia luxuriante distinguuntur et magnis corneae vulneribus oriri solent. Interdum etiam coloribus variis pictae sunt cicatrices, si quidem materia aliqua aliena in vulnere aut ulcere remanet, ut metallorum particulae atque alia ejusmodi corpora. Talis obscuratio livide picta synechia quoque anteriore ef-

ficitur. Albissimae cicatrices remediis ex plumbō paratis ad ulcera sananda adhibitis existunt. Pulcherrima, tenuis atque perlucida efficitur cicatrix lapide divino aut zinco sulphurico in stadio cicatrisationis adhibito. Vulnera incisione aut ictu facta plerumque bonas relinquunt facileque forma sua cognoscendas cicatrices; vulnera autem contusione effecta plerumque deformes relinquunt et vi-sum vaide impedientes cicatrices, quales etiam combustiones aut alias insultationes chemicas sequuntur.

Variae cicatricum corneae species variis symptomatibus ex causis pendentibus distingui possunt, quare etiam secundum has causas mihi videntur distribuendae.

Cicatrix ulceris syphilitici quae in margine corneae esse solet, lata et plana est, rotundamque aut ovalem formam, marginesque habet quasi abscisos; semper magna substantiae pars deletur et nunquam aequa atque in aliis corporis partibus regeneratur, ita ut cornea quasi collapsa videatur.

Cicatrix ulceris arthritici aequa ac syphilitici in margine corneae esse solet, majorem autem illa habet circuitum, marginesque serratos induratosque atque elatos, varicosisque vasis saepe circumdatos; semper haec cicatrix valde est turbida atque callosa.

Cicatrix ulceris scrophulosi media in cornea esse solet et parva tantum et rotunda valde autem profunda propter substantiae detrimentum atque obscurata apparet. Si ulcus corneam penetravit, remanet cicatrix albissima et valde obscura.

Cicatrix ulceris blennorrhoci corneae. Permanens et propter acre secretum, conjunctiva chemo-tice prominente in ipsa cornea retentum, ulceribus in margine corneae exortis magnae callosae crassaeque, ac deformes, leucomata quae dicuntur, cicatrices efficiuntur, quarum signum proprium secundum varias ipsius blennorrhoeae causas specificas est varius.

Ophthalmia morbillosa in margine corneae parvas easdemque superficiales relinquit cicatrices nota propria specifica carentes.

Ophthalmia scarlatinosa aequa ac morbillosa in margine corneae parvas cicatrices minus, quam illas morbillosas, perlucidas relinquit.

Ophthalmia variolosa veras in cornea gignit pustulas variolosas, quibus ruptis magna remanent corneae ulcera saepe penetrantia cicatricesque leucomatosae cum synechia anteriore saepe complicatae.

Rust Hdb. V. 22. XVII. 7. — Jüngken. p. 212. 213. 221. 253. 266. 269. 270. 288. 291. 292. 315. 322. 410. 429 — 431. 440 — 443. 759. 942. 949.

b. Cicatrices palpebrarum.

Blepharitis glandulosa scrophulosa ulcera in palpebrarum marginibus intra cilia parva quidem sed profunda et fundibuliformia faciunt, quibus cilia aut aegrescant directionemque suam mutant, aut prorsus excidunt. Tandem aliquando margines ipsi palpebrarum et tarsorum rotundantur et id quod interdum etiam psorophthalmia efficitur usque ad tylosin quam dicimus deformantur maculisque parvis rubri coloris, loco ulcerum sanatorum distinguuntur, quae loca ciliis semper carent.

Ophthalmia psorica externas tantum palpebrarum partes afficere solet cicatricesque relinquit superficiales et fusco-rubras, quibus etiam ectropia et conjunctiva ipsa arrepta entropia existunt.

Crusta serpiginosa palpebrarum exteriorem palpebrarum laminam et vulgo unius tantum oculi inde a margine tarsi usque ad marginem orbitalem solet afficere, ubi ut abscisa finitur. Margines tarsales excoriantur et rotundantur, ciliaque partim una cum eorum bulbis delentur. Morbus si pertinax fuit et longum tempus duravit, margines tarsales nunquam in integrum restituuntur cicatricibusque maculosis et rubris distincti apparent.

Erysipelas pustulosum oculi crustis flavis de-

lapsis superficiales relinquit et latae laevesque cicatrices.

Erysipelas malignum oculi aequa atque erysipelas pustulosum in palpebris sedem suam habet et mox in exulcerationem transit gangraenosam, quae brevi tempore saepe tantopere fiunt perniciosae, ut praeter magnas et deformes cicatrices forma ipsa palpebrarum prorsus mutetur, ita ut, tela cellulosa tantum arrepta, ectropia, profundioribus autem partibus etiam deletis, mutilationes et contractiones palpebrarum et lagophthalmus efficiantur.

Hordeolum est palpebrarum furunculus et cicatricem relinquit vix visibilem. In aliis corporis partibus furunculus profundas quidem sed parvi circuitus efficit cicatrices.

Ulcus conjunctivae cicatrices non relinquit nisi chemicis insultationibus vehementissimis erat exortum.

Jüngken 139. 215. 216. 281 — 284. 295. 298. 301. 423. 424. 554. — Rust Hdb. XI. 401. 404. XVII. 71 seq. — Biett 390. 225.

c. Cicatrix scleroticae.

Ulcus scleroticae ophthalmiis scrophulosis et herpeticis pertinacibus exsistit et in integrum si restitutum est, lividas in album transeuntes relinquit cicatrices, substantia ipsa scleroticae partim deleta conformatas.

Rust Hdb. XVII. 88.

2. **Ulcus osteopathicum.**

In carpo maxime et tarso, in malleolis quoque et in sterno, vertebris, osse sacrali, ossibus ilium, processu mastoideo ossis temporum, in apophysibus extremitatum, in omnibus vero aliis quoque corporis partibus esse potest.

Ulcus cariosum ex profundo granulationibus impletur, cuius margines intus deprimuntur ossibusque coalescunt. **Cicatrix ossi** quasi imposita est et cum eo conjuncta, quam ob rem illo loco infundibuli modo cutis intus retracta est. **Cicatrization**

modo majore, modo minore cum substantiae delicto efficitur. Quod caries scrophulosi saepa mixta, aut ex ea orta est, cicatrix scrophulosae cicatricis natura utitur. Ulceribus necrosi effectis et sanatis, cicatrices relinquuntur inaequales et editae mollesque, quae haud raro denuo rumpuntur. Cicatrix ulceris in osse syphilitici alba remanet, resorptione desumtis eo loco ossis particulis. Ceterum cicatrix in osse post necrosin sanatam fere eadem est, quae sequitur cariem.

Rust Hdb. III. 689. XVII. 48. — Bluff p. 77. — Bonorden p. 366.

IV. CICATRICES QUAE SFQUUNTUR COMBUSTIONES.

Tertio combustionum gradu vesiculae conformantur majores, quae semper in suppurationem trans-eunt et facile cicatrices deformes relinquunt. Saepe hae cicatrices late patent combustioni ipsi respondentibus: quod ad colorem autem et formam pertinet, albae sunt et splendidiae, tenerisque plicis immixtae; saepe autem haec forma mutatur dyscrasia aliqua in corpore florente. Hae cicatrices, si remedia ex plumbō facta locis combustis sunt imposita, multo magis adhuc fiunt deformes, unguento autem illo Stahlii adhibito cicatrices magis tenerae fiunt et tenues. Ceterum forma harum cicatricum pendet ex corporibus illis, quibus combustio est effecta; fluidis enim rebus effectae combustiones multo latius patent multoque irregulariores esse solent quam quae aliis corporibus fervescientibus efficiuntur.

Rust Hdb. I. 512. 518. — Chelius §. 82.

LITERÆ.

- Joh. Nep. Rüst, Theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie etc. Berlin. 17 Bände.
- H. F. Bonorden, Die Syphilis etc. Berlin 1834.
- C. I. M. Langenbeck, Nosologie und Therapie d. chirurg. Krankheiten. Göttingen 1823. II. vol.
- D. L. Choulant, Lehrbuch d. Patholog. u. Therap. Leipz. 1834.
- J. C. Jüngken, Lehre v. d. Augenkrankheiten. Berlin 1832.
- Lessing, helkolog. Tabellen. Berlin 1835.
- H. Eichhorn, Hdb. über d. Behandlung u. Verhütung d. contag. fieberhaft. Exantheme. Berlin 1831.
- M. J. Bluff, Helkologie. Berlin 1832.
- M. J. Chélius, Chirurgie. II. vol.
- J. N. E. v. Raimann, Hdb. der speciellen Pathologie und Therapie. II. vol.
- Biett's Hautkrankheiten v. A. Cazenave u. H. E. Schadel. Weimar 1829 u. 1835.
- Th. Bateman, Hautkrankh. nach Willan, übers. v. Calman, herausgegeb. v. E. Blasius. Leipzig 1835.
- Hufeland's Journal. Jahrg. 1822. Januarheft.
- Heim in Horn's Archiv. Bd. VII. Heft II. 1809.
- R. L. Ch. de Siedmogrodzki, Dissert. inaugur. de cicatrisatione. Berl. 1832.
- C. Rust, Dissert. inaugur. de ulcerum diagnosi et aetiologya. Berlin 1830.
- J. G. Lichtenauer, Dissert. inaug. de cicatrisatione. Berolini 1826.

V I T A.

Ego Carol. Eduardus Beulke, confessioni evangelicae addictus, Ascaniensis anno MDCCCXI die II do Martis natus sum patre *Christian. Mich.*, quem morte ante perpaucos menses mihi abreptum valde lugeo, matre adhuc viva, e gente *Liebetrut*.

Progymnasio, quod tunc temporis Magdeburgi Directore *Rolle* florebat, per tres annos frequentato, discipulis gymnasii ecclesiae cathedralis, quod Cel. *Matthias* Rectore laudibus florebat et adhuc floret, adscriptus sum et per octo annorum spatium optimorum praceptorum institutis usus sum, quibus viris propter benevolentiam et humanitatem erga me maximam habeo et habebo gratiam. Testimonium maturitatis mense Martis anno MDCCCXXXII nactus, inter cives academiae medico-chirurgicae Friderico-Guilelmae receptus ibique per annum versatus sum. Postea ab Ill. *Weiss*, rectore magnifico in civium academicorum universitatis literariae Friedericae Guilelmae Berolinensis numerum receptus et ab Ill. *Osann* t. t. decano facultatis medicae, in album inscriptus sum. Per quatuor cum dimidio, annos ad medicinae et chirurgiae studium incubui atque his virorum illusterrimorum et celeberrimorum paelectionibus et exercitationibus clinicis interfui:

Cel. *Wolff* sen. de logice et psychologia, Beat. *Rudolphi* de methodologia medicinae atque encyclopaedia, Ill. *Link* de historia naturali, botanice, toxicologia et pharmacologia, Cel. *Turte* de physice et chemia, Ill. *Schlemm* de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, anatomia universa et organorum sensuum. In arte cadavera rite dissecandi Ill. *Schlemm* magister mihi fuit. Praeterea paelectiones frequentavi Ill. *Müller* de physiologia corporis humani et generationis et de anatomia universa, Beat. *Becker* de pathologia generali, Ill. *Osann* de materia medica et de auxilio hominibus, repento vitae periculo arreptis ferendo, Cel. *Ascherson* de arte fascias imponendi, Ill. *Kluge* de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de akiurgia et de arte obstetricia theoretica et practica, Ill. *Jüngken* de chirurgia speciali, akiurgia et ophthalmiatrica, Ill. *Fr. Hufe-*

land de semiotice, Ill. Horn de pathologia et therapia speciali et de morbis syphiliticis et psychicis, Cel. Casper de arte formulas concinnandi.

Exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis et obstetriciis et ophthalmiatricis et morborum syphiliticorum interfui Ill. et Cel. virorum Trüstedt, Wolff jun., Bartels, Osann, Rust, Kluge, Jüngken et Barez. Quibus omnibus optime et maxime de me meritis gratiam habeo quam possum maximam atque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite superatis spero fore ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

- 1) *Variolae et Varicellae facile distingui possunt.*
- 2) *Specifica quae nominantur contra morbos non existunt.*
- 3) *Sanguis non solum motu cordis producitur.*
- 4) *Nullum certum signum virginitatis exstat.*